

perare potuerunt difficultates. Te ergo, O sanctissime DEUS, supplicibus ad vulnera Redemptoris adstricti exoramus precibus, ut tua diuina benedictione institutum nostrum secundare velis. Fiat!

QVAESTIO.

Utrum Diabolus possit producere substantiam?

§. I.

Quid sit substantia, hodie quidem inter eruditos disputatur. Sententias ipsorum recensuit, atque iudicium suum subnexuit *Dn. Praeses* meus in Dissertatione de supposita-
litate eiusque usu, Respondente *Dn. Christiano Schütze*, Rostochii 1703. mense April. habita cap. 2. Th. 3. inde cramben bis coctam heic non apponam, sufficiat nunc cum eodem meo *Dn. Praeside* ex *Schediasm. Log. Theol. cap. 4. Th. 3. Disp. menstr. 7. p. 50.* substantiam definiuisse per *ens extra subiectum inhaesionis existere aptum, cui aliquid competit.* Cum vero substantia alia sit *immaterialis, quae in esse, fieri et operari a materia non dependet*, ut Angelus; vel *materialis, quae in esse, fieri et operari a materia dependet, siue ex materia et forma composita est*, ut Homo; non de illa, sed de hac in praesens sumus solliciti. Quod enim Diabolus nullum possit producere spiritum, quantum quidem scio, inficias it nemo. An etiam Daemon possit producere accidens? de immateriali, quale est, quando per informationem homini ingerit rerum notitiam, equidem videtur res esse certa atque expedita; de materiali vero disputant Doctores, sicuti ostendit inter alios *B. Rudrauffius* *Instit. Metaph. part. special. c. 3. Th. 14. p. 949. seq.* Quam controuersiam iam non facimus nostram. Nobis enim. ut quaestio ostendit, de substantia unice sermo est.

§. II.